

hactenus observarim, fuit Gualterus cognomine *Giffard*, Osberni de *Bolebec* viri inter Normannos celeberrimi filius, qui in *Charta Henrici Primi* inter testes citatur nomine *Comitis Buckinghamiæ*. Hunc sequutus est ejus filius eodem nomine, qui in libro *Monasterii Abbindonensis*, *Gualterus Comes Junior* dictus obiit anno M C L X I I I I. Et regnante *Henrico Secundo*, *Richardus ille Strangbow* Comes *Penbrochiæ*, qui è sorore & hærede *Gualteri Giffard Secundi* genus duxit, hoc titulo in nonnullis publicis instrumentis est usus. Longo post tempore jacuit hic titulus quasi obsoletus, donec anno M C C C L X X V I I *Richardus Secundus* hunc honorem patruo suo *Thomæ de Woodstocke*, de quo inter *Duces Glocestriæ* jam diximus, contulerit. Ex hujus filia enupta *Edmundo Comiti Staffordiæ* natus est *Humfredus Staffordiæ Comes*, quem *Buckinghamiæ Ducem* creavit *Henricus Sextus*, pro quo vitam animose in prælio ad *Northampton* profudit. Illi successit ex *Humfredo* filio nepos *Henricus*, qui

Liber
Priorahy
Markyat.

Richardo Tertio tyranno viam ad regnum munivit, statimque eundem deturbare machinatus est, eo quod *Bohunorum* hæreditatem ad ipsum ju-
re hæreditario spectantem restituere noluerit: sed interceptus capite luit, seroque sensit quod tyranni gradus per quos ascenderunt sæpiissime amputant. Hujus filius *Edwardus* in integrum *Henrici Septimi* gratia restitutus pessimis artibus *Wolsæi Cardinalis*, *Henrici V III* gratia excidit, & majestatis laxæ damnatus, quod inter alia ariolum de Successione regni consuluisset, summo cum bonorum desiderio securi fuit percussus. Quod cum *Carolus Quintus Imperator* audisset, dixisse fertur, pulcherrimum Angliæ damam à *Lanii* cane fuisse devoratum, utique *Cardinalis* ille lanii fuerat filius. Iam inde hujus familie dignitas attenuata ita defloruit, ut posteris tiulus Baronem de *Stafford* solummodo superfluerit.

Recensentur in hac regiuncula Paræciae 185.

B E D F O R D - S H I R E.

Bedfordiensis ager, vulgo *Bedfordshire*, alter est è tribus Comitatis quos *Cattieuchlanos* occupasse diximus. Ab Ortu Meridie que *Cantabrigiensi* atque *Hertfordiensi*, ab Occasu *Buchingha- mieni*, à Septentrione, *Northantonensi*, & *Huntingdonensi* conjunctus, *Vsaque* interfluente in duas partes divisus. Qua Septentriones spectat fertilior est, & nemorosa: altera ad meridiem, quæ multo major, solo est tenuiori, sed non omnino ingrato: hordeum enim plenum, album, & crassum affatim profundit. In medio sylvis non nihil densior, sed ad Ortum magis siticulosa, & arboribus nuda.

Vsa, ubi hunc agrum ingreditur, primum *Tury* invisit ædes *Baronis Mordant*, qui hanc dignitatem Regi *Henrico VIII* acceptam tulerunt. Ille enim *Ioannem Mordant* virum prudentem, qui duxerat filiam & alteram hæredem *H. Vere de Addington*, *Baronem Mordant* creavit. Deinde *Harewood* viculum olim *Hareleswood* præterlatabitur, ubi *Sampson* cognomento *Fortis Sanctionalibus* ædem sacram posuit, & ubi anno salutis reparatae M C C C X C I X, paulo ante motus illos, & civiles turbas quibus *Anglia* diu divisa fuit, hic fluvius restitit, & cedentibus utrinque aquis, iter in ipso alveo per tria millaria non sine admiratione pervium fuit. Postea *Odill*, sive *VWoodhill*, olim *VVahull*, subluit, quæ suos etiam *Barones de VVahull*, antiqua nobilitate perillustres, & castrum, quod nunc hæredatio ad *Chettwoodos* devenit, habuit. Unde *Vsa* non minus tortuosus, quam ipse *Mæander* fertur per *Bletnesho*, vulgo *Bletso*, quæ sedes olim *Pateshulorum*, postea *Bellocamporum*, nunc illustris familiæ de *S. John*, quæ olim sua virtute amplissimas in *Wallia* possessiones, & nostro tempore *Elizabethæ* fœcissimæ memoriae gratia *Baronum* dignitatem consecuta est. Ad quos devenit per *Margaretam de Beauchamp* hæredem, quæ primo nupta *Oli-*

Barones
Mordaunt.

Aqua di-
vila.

B'eso.
Barones.
S. John
de *B'eso*.

vero de *S. Iohn*, à quo hi *Barones* stemma deducunt, & secundo *Ioanni Duci Somersetti*, cui illa peperit *Margaretam Comitissam Richmondiæ*, fœminam nunquam satis laudatam, à qua regia *Anglorum* familia.

Hinc *Bedfordiam*, *Saxonice Bedanropo* primarium oppidum, unde & regioni nomen, ad properat & ita dislocat *Vsa*, ut duo viderentur oppida, nisi ponte *saxeo* committerentur. Situs amoenitate, & sua vertuata, magis quam elegantia aut amplitudine (licet quinque ecclesiæ numeret) prædicandum. **L A C T O D O R V M** tamen *Antonini* fuisse cum aliis non audeo affirmare, cum ad viam militarem *Romanorum* non sedeat, quæ certissimus index ad stationes & mansiones ab *Antonino* memoratas reperiendas; nec *Romanorum* numismata hic unquam effossa. *Lifwidur* sive *Lettidur* *Britannice* dictum legi; verum ex *Anglico* nomine conversum videatur. *Lettuy* enim *Britannis* diversoria publica sonat, & *Lettidur* diversoria ad flumen, ut *Bedford* *Anglis lectos* & *diversoria ad vadum* sonat. *Cuthwulfus Saxon* circa salutis nostræ annum D L X X I I sub hoc aperto Marte ita *Britannos* fregit, ut jam inde viribus impares plura sibi oppida dediderint. Nec *Saxonibus* neglectum fuisse videtur, cum *Offa* potentissimus *Merciorum Rex* hic sibi (uti legimus in *Florilegio*) sepulturam delegérat, cuius tumulum *Vsa*, cum incitator & sublimior ferretur, eluvione abripuit. *Danicis* postea bellicis prostratum *Edwardus Senior* reparavit, urbeculamque ad austrelam ripam adjecit, quam *Mikegate*, (ut optimum *Hovedeni* exemplar habet) illa ætas vocavit. Tempore Regis *Edwardi Confessoris*, ut est in libro illo quem *Rex Guilielmus Primus* scripsit, cum *Angliæ* lustrum conderet, *Pro dimidio Hundreda se defendebat in expeditione*, & *navigibus*. Terra de hac villa nunquam fuit bidata. Graviora deinde sub *Normannis* pertulit: cum enim *Paganus de Bellocampo* tertius dictus *Baro de Bedford* castrum construxisset, nulla inten-
stini